

exhibere ^{o)}, quin potius, inquires ^{p)}, terribilem huiusmodi assentatoribus salvatoris sententiam imminere. Atque huiusmodi ^{q)} responso prolato omnino, quod ^{r)} hortaverant ^{s)}, facere distulit. Illico nempe oppido ^{t)} ab huiusce ^{u)} suasoribus detractationum corrosionibus lacessitur, ab ipso presule redarguitur ac veluti contumax sui iuris habetur. Ille vero talia pro nichilo ducens ac magis magisque in dei se cultum ^{v)} astringens, ita ut pene ^{w)} ipsi soli omnis cura ac sollicitudo psallendi, legendi, horarumque ^{x)} pulsandi, die noctuque loci illius incumberet. Erat enim castissime mentis et ^{y)} corporis, paratus ad omne bonum, ac meditabatur frequentius ^{z)}, si forte quenpiam repperire locum valeret, ad quem transiens devotius præceptis regularibus inservire liceret ^{zz)}. Iam enim inibi fervor disciplinæ regularis admodum tepuerat. (*cap. 8*) Proinde accepta quondam licentia orationis ac visitationis gratia, ut ^{a)} ad monasterium beati archangeli Michaelis, quod situm constat in altissimis iugis Alpium, pergeret ^{b)} ⁵⁾. Qui dum ^{c)} ad montis radices devenisset, atque ut est iter arduum ascendendi ad monasterium iam pene ^{d)} superaret, vector ^{e)} ipsius equus, quem post se habena dextera ^{f)} iniecta trahebat, ab angusto tramite pede luendo paululum devians, excussa habena, quantum est illud immane præcipitium, totus ruit. Quod cernens vir deo devotus, mente quidem exterritus, vultu tamen sereno perrexit ad ecclesiam, orationi incubuit, ibique diutius, ac si nil ^{g)} adversi ei ^{h)} contigisset, oravit. Deinde vero exiens misit famulum, si forte de equo, aliter quam sperare poterant, contigisset, ut ei renunciaret. Qui egressus repperit eum in loco, ubi præceps ruerat, stantem incolumem, ita ut nulla omnino læsura in eo videretur, sed neque in loris aut ligno sedilis aliqua attritio appareret. Siquidem ⁱ⁾ cum miliaria duo et eo amplius a loco, unde ruinam cæperat,

^{o)} exhiberet *RBM*

^{p)} inquit *RBM*

^{q)} eiusmodi *R*

^{r)} quod omnino *R*

^{s)} *BM*; ortati fuerant, *darin -ti-
ü. d. Z., -rtaf- auf Rasur und vor
o- Rasur des h- Schafstes (?) in F;*
hortati erant *R*

^{t)} *aus opido verb. F*

^{u)} huiuscemodi *R*

^{v)} *RBM*, cultu *verb. aus cultū F*

^{w)} *zwischen p- und -e- Rasur eines
Buchstabens in F: p — ene*

^{x)} horasque *R*

^{y)} ac *R*

^{z)} frequenter *R*

^{zz)} posset *R*

^{a)} *fehlt R, Rasur vor ut F*

^{b)} pergebat *R*

^{c)} *RBM, Rasur vor dum in F, Qui
fehlt*

^{d)} *wie oben w)*

^{e)} *fehlt RBM*

^{f)} dexteræ *R*

^{g)} nihil *R*

^{h)} *fehlt RBM*

ⁱ⁾ & quidem *R*

⁵⁾ St. Michael auf dem Monte Pirchiriano.